

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Müller Ernst Frommholdt

Exercitium Scholasticum De Infinitudine Entis Primi

Rostochi[i]: Richelius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730148890>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1652
Künck Müller, Prae.
Ernst Fromholte, Resp.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730148890/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730148890/phys_0002)

DFG

בָּשָׁר

EXERCITIUM SCHOLASTICUM
D E
INFINITU-
DINE
Entis Primi,

Quod
INDULTU
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
in Academia Rostochiensi
P R A E S E S


M. HENRICUS Müller/
Rostochiensis,
&
RESPONDENS
ERNESTUS Fremholdt/
Regiom. Boruss.

Publicè ventilandum proponunt
In Auditorio Majori
Ad diem 25 Septembr. horis matutinis.



ROSTOCHI.


Typis Johannis Richelii, Sen. Typogr.
ANNO c 16 Iac LII.



Finitus FROMHOLT infinitum movebit?
Ens infinitum sed tibi finis erit.

Præstantissimo DN. Respondenti L. M. Q.

Augustus Varenius SS. Theol. D. Prof.
Hebraicorum & Rector Univers. Rostoch.



Ad Præstantiss. DN. RESPONDENTEM,

Amicum singulariter dilectum.

Tunc, quid, indagas, infinitudo sit Enis
O FROMHOLDT, vires ingeniiq; levias?

Ardua moliris erit non omnibus æquè

Obvia, gens Studiis vix operata capit,

Nedum vulgus iners: at tu, meliore metallo

Quem Phœbus finxit, quemq; Minerva foveo

Ardua multa capis, Sophie tibi multa revelat,

Pulpita quæ scandens tu facis esse palam;

Ingenium monstras, & doctæ mentis acumen,

Quamq; gravis res hac sit, studiumq; grave.

Macte gravi studio! profint insignia mentis

Munera, quæ rapient nomen ad altra tuum.

Bregela suscepit Roseis laudabit Athenis

Molimen, patrius nec recicebit ager.

Ens infinitum scrutari perge, sit illud

Principium Studiū finis idemq; tui.

M. Pancratius Amselius, Poet. Laur. Cæs;



Pereximio Dno Respondenti,

Amico dilectissimo.

Finitus simul est, ac infinitus IHOVAH

Perfectus summè; limitibusq; carens:

Seipsum

Se ipsum comprehendit, nostrum comprehendere nullus

Qvem potis est, hebetat mentis acumen opus

Tutamens ERNESTI, tentas apprendere IHOVAM

Apprêndes; cæptis annuet' ipse tuis.

Sic ex animo L. M. g₃ gratulatur

M. H. Müller, PRÆSES.

FONS infinitum Deus est; nam solus ut ipse

Est sine principio, sic quoque sine careat.

Differis hac de re docte, FRÖM HÖLTE, quamq.

Declaras mentem, pulpita quando petis.

Præside Müllero benè res succedit, & amplam

Inde refers laudem, Præses et inde refere-

Perge Metaphysicum porrò percurrere campum.

Hic non dimicet te sine fruge domum.

Henricus Amselius - Bostoch.

Scholæ Patriæ Collega.

Cire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter;

Vox vetus & magno teste probata venit.

Scilicet immensum sibi conciliare o^mQides;

Ovid iuvat, & studiis invigilasse bonis.

Si non cunctorum communem vergat in usum?

Est nihil: & fructu res caret illa suo.

Quando igitur nobis tua Dissertatio prodiit.

Ille cum scis, alii iam quoque scire queant.

Gratulari: auspiciis faxsant pia Numinis cœptis.

Ille felix Patriae commoda larga feras;

Præstentissimo Dno Respondenti Amico singulariter

dilecta honoris f^t amoris ergo deproperabam.

REINHOLDUS

בשׁ

EXERCITIUM SCHOLASTICUM

DE

INFINITUDINE ENTIS PRIMI.

§. I.

INfinitum aliqvid dicitur vel privativè, vel negativè. Privativè infinitum dicitur, qvod cum aptum natum sit, ut finiatur, terminetur, & limitetur, privatur tamen actuali finitione, terminatione & limitatione v. g. Si Sol juxta longitudinem, vel latitudinem, vel profunditatem, in infinitum extenderetur. Negativè infinitum dicitur, qvod non habet finem, nec eum habere potest. Illa infinitas in DEO non habet locum, qvia privationem ac imperfectionem in ipsam Deitatem importat: sed, qvia potius ex naturæ lumine intelligimus, qvid DEUS non sit, qvam quid sit, terminis res nostras de DEO negantibus uti cogimur: hi autem non privationem, sed negationem significant. Particula ergò IN non significat privationem, sed negationem, quâ non tantum ipse actus finitudinis passivæ sed etiam potentia removetur à DEO.

§. 2. Sunt autem varii fines s. termini, qvos infinitudo DEI negat, ut sunt (1) termini quantitatis, (2) essentiae, (3) temporis & ævi, (4) loci & ubietatis, (5) virtutis, potentiae & operationis, (6) cognitionis sensualis & intellectualis: Qvorum omnium respectu negatur qq. terminos s. fines dari in DEO. Infinitudo quantitatis non cadit in DEUM, tum qvia ille non est quantus, tum qvia infinitudo quantitatis, qvæ in Physicis nominatur, non nisi potentia dati

A

dati

dari statuitur. DEUS autem actu infinitus est. Reliqui autem gradus infinitudinis DEO quidem soli competunt, nempe Infinitudo essentiae & perfectionis, infinitudo excludens ubicationis, quae dicitur immensitas; & negans durationis terminos, quae nominatur æternitas: vel excludens potentiae atque operationis fines, quae est omnipotencia DEI; & denique removens terminos cognitionis creatæ, quae dicitur incomprehensibilitas. De infinitudine autem virtutis & operationis divinae dixi nuper in *Diss. de Potent. Ent. Prim.* Illa enim est modus vita DEI ab essentia DFI præcisè consideratæ distinctæ. Nam operari posse fluit à vita. De Infinitudine autem essentiæ, Æternitate, immensitate, incomprehensibilitate nunc ordine agendum est...

INFINITAS.

§. 3. Infinitudo essentiæ divinæ est modus, quo DEUS est extrâ finiri ab alio, scilicet quo omnis limitationis, omniumq; terminorum essentiæ expers est. Termini autem limitantes essentiam sunt causæ per quas res vel producitur vel constituitur, & iterum vel mutatur, vel desinit. Nam causa efficiens vel efficit rem vel corruptit: ad finem autem destinata est vel productio, vel mutatio. Materia continet potentiam ad esse vel non esse, ad incrementum, vel decrementum. Forma denique determinat materiam ad certam speciem & accidentia quæ sunt in materia, ac finit rei productionem. Unde à *Philosophol. 3 & 4. Phys. & l. i. de generat.* forma peculiariter dicitur *terminus*. Nullis hisce terminis circumscribitur essentia divina. Unde infinitudo ejus essentiæ etiam appellatur *anonyma*, incircumscripçio essentialis. Nam omnis creatura est certis naturæ circumscripta limitibus: solus autem DEUS est incircumscripçus & interminabilis.

§. 4. Infinitudo essentiæ divinæ duplex est: Independentia & immutabilitas. Independentia essentiæ divinæ est, quâ DEUS non habet causale principium effendi, sed est *arbitrarius* vel increatus h. e. & ante omnes creatureas quas liberrimâ voluntate produxit, extitit; & adhuc existit per essentiam ac vi essentiæ suæ divinæ. Hinc dicitur Ens à scipso, non per positivum influxum, sed negative,

tivè, ratione independentiæ ab alio. Si enim D E U S est Ens dependens à causis, tum vel habebit causam efficientem; vel finalē; vel materialem; vel formalem. Non primum; Sic enim D E U S haut esset principium primum, qvia poneretur ipso prius aliud principium sui effectivum. Imo, qværo; An illa causa efficiens sit creata, an verò increata. Si illud; non est efficiens, sed effectus D E I. Si hoc; habemus qvod intendimus. Non secundum; qvia ipse D E U S est finis omnium rerum ultimatus, adeoq; non potest ab ullâ alijâ re ceu sine dependere, nec potest ad ullam aliam rem ceu ad finem destinari. Non tertium; Nam D E U S non habet materiam vel sensibilem s. Physicam, vel intelligibilem s. Metaphysicam h. e. potentiam ad non- esse, qvia est actus purissimus, qvi nihil omnino admixtum habet potentia, secundum qvam res vel est possibilis, & adhuc latet in causæ suæ incunabulis: vel cum est, aliquando tamen rursus non- esse & desinere potest. Nec quartum; Essentia enim D E I non est forma talis (s. Physica, s. Metaphysica) ut limitetur ad capacitatem alicujus materiae qvæ ipsam recipiat. Verum essentia D E I intrâ semetipsum terminatur, in quantum est id qvod est, & non est aliud.

S. 5. Immutabilitas essentiæ divinæ est modus, qvo D E U S servat suum esse citrâ ullam potentiam non-essendi aut conversiōnis in aliam essentiam, aut incrementi, aut decrementi, aut alterationis & motus. Si enim D E U S mutaretur, s. in pejus s. in melius, tum vel mutaretur à seipso, vel ab alio. Non illud; qvia illud fieret vel per principia naturalia, vel per violentiam. Non prius, qvia D E U S est purissimus actus: Purum autem definitiōne Scalgero exerc. 250. est, qvod nihil habet alienum. Non posterius, qvia in D E O ponere motuum *ἀγένειας* & inordinationem piaculum esto! Voluntas D E I maximè ordinata est, & semper fertur ad bonum. Essentia autem D E I summè bona est. Nec hoc; qvia D E O nemo est superior, nemo potentior. Queritur; An possit dici, D E U M mutatum esse ex eo, qvod per creationem eæpit esse causa in actu, cum antea non fuisset? Fusè & egregie hanc qvæstionem pertractat Fons cal. 7. Met. c. 8. quest. 4. Brevis ter (1) omnis mutatio supponit aliquam potentiam passivam in

subjecto quod mutatur. DEUS autem est actus purissimus. (2)
Omnis mutatio vera est via ad aliquod esse, vel ab aliquo esse enti-
tativè. DEUS autem quatenus causa nullam entitatem acquisi-
vit ex eo quod cæpit esse actu causa rerum, quas condidit. Nam
causarum concursus ad sua effecta non addunt entitatem ullam
rebus iis, quæ sunt causæ, sed puros quosdam omnivse entitatis ex-
pertes modos se habendi ad illa: nec faciunt causam aliter atq; ali-
ter, sed saltem ad alia se habentem Dices; DEO, quatenus est
causa prima, ex eo ipso causandi opere, si non Entitas saltem per-
fectio quædam accessit. R. (a) In causis secundis aliquo modo
largiri possumus, causalitates earum addere aliquam perfectionem
iis rebus quæ sunt causæ. Causæ enim secundæ propter aliquem
finem perfectionis passivæ sunt institutæ, adeoq; perfectiorem sta-
tum habent cum actu causant, quam cum non causabant. DE-
US autem est supremus finis, summaq; perfectio, proinde actualis
causalitas nullam ipsi addere potest perfectionem. (3) Disting.
inter id, quod alicui accedit quoad denominationem intrinsecam,
& quod accedit quoad denominationem extrinsecam. Illud fortas-
sis aliquid perfectionis adderet subjecto quod ab eo denominatur:
hoc vero minimè. At enim denominatio DEI à creatione rerum
non est intrinseca, sed extrinseca. (3) Quid vero ad Canonem il-
lum Philosophicum: *Quod transit de potentia ad actum, mutatur?*
Non jam litigabimus, an DEUS ante mundi creationem potuerit
dici causa vel creator in potentia? Quod negat *Fons cal. c. sett. 7.*
sed refutatur à *Sthalio in Reg. Philos. Tit. 2. reg. 4. §. 7. 8. 9.* simpliciter
dicimus, Canonem valere tantum de illis, quæ ita transeunt de po-
tentia in actum, ut actus intrinsecus sit rei, quæ erat in potentia,
eiq; tanquam subjecto inhæreat, adeoq; notetur potentia passiva,
v.g. quando ex homine indocto fit doctus, mutatur subjectum per
receptionem habitus, seu eruditio. DEUM autem esse crea-
torem est denominatio extrinseca, neque creatio, quæ est actus, per
quem DEUS dicitur creator, in DEO tanquam subjecto inest, ad-
eoq; nec DEUS cum ex creatore potentia fit creator actu, mutatur.

§. 6. Ex infinitudine essentiæ divinæ sequitur infinitudo per-
fectionis divinæ. Omnis enim essentia actualis est perfecta. At
Dei

Dei essentia est *τὸς οὐχως*, superexcedenter ac singularissimo modo, idq; semper actualis E. est perfectissima. Adde; Vel Deus est infinitè perfectus, vel finitè. Si illud res salva est. Si hoc, Ergo est perfectibilis vel à seipso, vel ab alio. Utrumq; est absurdum. Qvinimò, qvicq; vid est in rebus creatis perfectionis tam actualis quam possibilis, id omne in Deo est eminentissimo ac excellentissimo modo tanquam in causante. Videatur *Svarez* *dist. 30. sent. 1. n. 12.*
Dices 1. Deus vult & appetit res creatas. 2. Fecit omnes res propter seipsum. 3. Utitur opera creaturarum. E. non est infinitè perfectus. R. ad 1. Voluntatis inclinatio in creaturis intelligentibus est duplex, una ad habendum, altera verò ad agendum vel operandum. Neq; enim appetitus intellectualis vult tantum habere, qvod non habet, sed & vult agere & amare id qvod habet. Quare prior appetitus arguit imperfectionem & competit creaturis tantum, eaq; de causa negat *Augustinus* appetitum talem, qui sit rei non habitæ, competere Deo, qvia in Deo est summa perfectio & sufficientia, appetitus autem ad agendum Deo convenit, qvia est perfectissimus & omnia potest efficere; insuper & summè bonus est, ac propterea ipsa natura suâ propendet ad communicandam bonitatem suam. Qvamvis a. hæc ipsa propensio Dei ad communicandum se fit ei naturalis, tamen istius naturalis inclinationis usum vel exercitium ad creaturas regit liberum Dei arbitrium, ut secundum istam naturalem inclinationem elicito appetitu Deus velit ea, qibus bonitatem suam communicat, eaq; operatione intendit bonitatem suam ad alios diffundere, non vero aliquod commodum sibi acqvitere. Videatur *Thomas l. 1. sent. dist. 145. queſt. 1. art. 2.*
Ad 2. Deus omnia fecit propter semetipsum non ut finem indigenitæ (est enim Deus *αὐτοπρέσβειος*, sibiq; maximè sufficit, atq; infinites sufficientiam creaturarum superat) sed assimilationis: non ut acceptum aliquid à rebus creatis; sed ut se se daturum & suam ipsius bonitatem communicaturum creaturis. Ad 3. (a) Deus non utitur opera creaturarum ad universam actionem & eodem agendi genere ac modo. Nam solus creat omnia (β) adhibet Deus creaturas ut ministras certorum apotelesmatum, non qvod non possit absq; illorum ministerio istum effectum producere, sed ad

amplificandam majestatem suam. (y) Causa ministerialis alio modo agit quam Deus. Nam causa secunda non coordinatur Deo agenti, multò minus superior est Deo, sed subordinatur: immo si Deus non concurreret cum causæ secundæ actione ad producendum apotelsima, nec effectus ille eveniret, nec causa secunda posset actionem suam peragere, v. g. in fornace Babylonica Deus non concurreret cum igne, ut potentiam calefaciendi & urendi exaserberet, ipsamq; utilitationem perageret in certa objecta: ideoq; nec tres illi viri comburuntur. Causa secunda quædam agit physicè & ex necessitate naturæ: Deus autem creans & sustentans creaturam famulatricem & eum ea concurrens agit semper liberè. Quæ autem causæ secundæ sunt liberae, nihilominus & ratione libertatis sunt Deo subjectæ. *Hæc de infinitate essentie & perfectionis divina.*

ÆTERNITAS.

§. 7. Vox æternitatis est inter τὸν οὐλαχῶς λεγόμενα. Nonnunquam enim significat temporariam durationem, aliquando non interruptam. Perpetuitas enim generaliter, teste Scaliger lib. i. de plant. est continuitas, cum non intermittitur aliquid. Sic circumcisio dicitur foedus æternum, quia per continuum temporis tractum duravit ab institutione ad usque N. T. excepto casu necessitatis. Deinde æternitas vocatur duratio, quæ quidem principium habet, non autem finem: qualiter beatorum vita & damnatorum mors est æterna. Et hæc æternitas docendi causa striètè vocatur ævum. Quamvis enim ævum Gr. αἰών propriè sit æternitas, & αἰών dictum sit qd. ἀεὶ ὥρα, teste Philosopho l. i. de cœlo ext. 100. tamen distinctioris doctrinæ gratia hodiernus usus istarū vocum ex placito ceterorum Philosophorum à pristinâ impositione deviavit, ut ævitemnum dicatur, qvod principium quidem habet, non autem finem: æternum autem sit, qvod nec principium, nec finem durationis habet. Et hic tertius significatus est hujus loci.

§. 8. Æternitas est modus essentiae divinæ, quo illa est ex-pers durationis, quæ est juxta initium & finem, & juxta successio-nem

nem prioris & posterioris, præscriti & fututi. Vel; æternitas Dei est essentia divinæ duratio interminabilis, continua & independens. Probatur hæc infinitudo Dei in duratione (1) ab infinitudine ejus in essentia. Modus enim existendi seqvitur modum essendi, qvia existentia essentiae nihil aliud addit quam actualitatem, adeoq; essentia & existentia non sunt separabiles propter identitatem, proindeq; essentia non potest esse sine propriâ ipsi; proportionata existentia. Duratio autem est existentia continuata. (2) Si Deus est finitus in duratione E. vel est finitus à parte antè, vel à parte post. Si illud, aliquando non fuisset: Qvaro ergo, à quo sit productus. Aut à se, aut ab alio. Utrum alleras ex Deo facies non-Deum, cotem ligneum. Si hoc, E. vel ipse se interimet, qvod infert motuum in Deo *αγέλιαν*. Omne Ens enim ordinatè esse suum appetit. Vel ab alio interimetur, adeoq; hoc Deo erit fortius. En iterum *σιδηρόζευλον!* (3) Deus antè omnes creaturas est, E. quoque antè illarum durationem existit: qvi verò antè finitam & principium certum habentem creaturarum durationem existit, ille alià duratione existit, sc. infinità, qvia antè creaturas nil nisi æternitas fuit.

S. 9. Æternitatis divinæ conditions sunt tres (1) interminabilitas: qvæ non tantum negat principium & finem durationis qvoad actum, sed & qvoad potentiam. Scholastici quidam disputant de quâdam æternitate participata, qvæ sit possibilis, si Deus voluisse: qvâ sc. quâdam creatura duratione extrinsecè potuisse esse simul cum Deo, nec tamen futura fuisset æterna, qvia tantum interminata, non autem interminabilis fuisset, cum hoc ipso, qvia creatura fuisset natura posterior Deo, dependisset ab eo in essendo. Dependentiam autem in essendo necessariò comitatur potentia existentiæ in tempore: Deo autem planè repugnat potentia habendi principium tam essendi, quam temporis s. durationis finitæ. Hoc modo nonnulli judicant, Angelos, si maximè ab æterno creati fuissent, non tamen coæternos futuros fuisse creatori suo. Verum Philosophus Christianus ignorat talēm participatam æternitatem & creaturis tribuit non tantum ratione potentia, verum & ipsius actus certum initium, antè qvod mera fuit æternitas.

eternitas. Quidam sicut inter Deum & creaturas non datur medium; ita quodque inter finitam & infinitam durationem non est aliquid intermedium. (2) συνέχεια scilicet continuitas absque ulla successione praesentis, praeteriti & futuri. Hoc requisitum aeternitatis tradit Philosophus l. ii. Met. c. 4. Removetur igitur ab aeternitate divina omnis successio tam positiva, quam privativa. Positiva est in certis tantum rebus creatis, quae nunquam in suo esse vel aliquando permanent. Estque duplex, vel a toto ad totum, quam constituit tempus: vel a parte entis una ad partem aliam, qualiter successivum Ens propriè est motus. Privativa autem successio est inter esse & non-esse, h. e. quam essentiam consequitur, vel consequi potest mutatio vel annihilation. Et haec successio omnibus creaturis convenit, quatenus essentia illarum, quam in generatione vel creatione acceperunt, non continuatur per Dei influentiam, atque ita non conservatur. Divina autem essentia neutro modo est successiva, quia nec partes fluentes habet, nec & dependet ab alterius conservatione, quam continuet permanentia essendi, eo quod sit immutabilis. Conf. Scaligerum exerc. 359. sect. 7. Unde scita est distinctio τόπου καιροῦ, quae aliud est Nunc stans, aliud, Nunc fluens. Aeternitas vero Dei est unum Nunc stans. Nunc est, quia indivisibilis & tota simul. Stans autem quia durat omnibus temporum differentiis exclusis. Neque enim in aeternitate datur aliquid instans, quod Boëtius dicitur Nunc fluens, ut aliquid praeteritum, aut aliquid futurum, sed omnia praesentia sunt absque ulla vicissitudine. Dices; de Deo prædicatur successio praesentis, praeteriti & futuri. R. Quando Dei aeternitas describitur per differentias temporum, est phrasis Metaphorica, qua continuitas durationis divinæ delineatur per differentias temporum simul collectas. Nam quae res simul est in praesenti, praeterito & futuro, illa habet durationem infinitam, si praesens intelligatur de Nunc stante, non fluxo, & praeteritum ac futurum notent durationem carentem initio & fine. (3) Totalitas & coexistentia ad omnium temporum differentias Hoc volunt Boethius in descriptione aeternitatis quam ponit l. 5. de consul. Phil. pr. 6. Aeternitas est interminabilis vita tota simul & perfecta

fecta possessio. Ubi nos malumus pro vocabulo vita substituerem vocem essentia præcisè sic dictæ: quia Infinitudo, essentia, durationis ac ubertatis terminos excludens est attributum non vita, sed essentia divina præcisè sic dictæ. Dicitur autem in definitione (tota) non ratione partium, quas non habet, sed ad negationem successionis perfectissimam. Quia enim continua est, tota simul & perfecta æternitas, ideo fieri non potest aliter, quin existentibus temporis partibus simul & existat æternitas. Coexistit a. temporis differentiis s. partibus non simul sumtis, sed singulis seorsim existentibus v.g. hodiæ æternitas coexistit hodierno diei, heri existit cum hesterno, cras coexistet crastino diei. Quâ distinctione coexistentia cum partibus s. differentiis temporum observata facile in fumum abeunt Vorstij ratiunculæ, quas affert l. de Deo & attrib. Deip. 226.

§. 10. Licet autem successio secundum tempora, prius & posterius non detur in essentia divinâ, datur tamen in actionibus essentialibus externis. Ubi prænotanda est distinctio actionum divinarum: quarum aliæ sunt ad intrâ, nempe personales, ut generatio, spiratio: aliæ ad extrâ, nempe essentiales, & haec iterum vel internæ, s. immanentes in Dei essentia, qualis actio est decretum Dei de redēctione generis humani. Vel externæ, quæ non sunt in, sed à Deo. Actiones internæ considerantur vel ratione Dei, vel ratione creaturarum ad quas habent respectum. Ratione Dei considerantur non positivè, ut accidentia in subjecto, sed negativè, prout non terminantur in extēnum objectum. Unde & actiones illæ internæ cum agente essentia divina non faciunt compositionem, sed sunt ipsa essentia divina agens. Eadem autem actiones internæ, ut spectant creaturem & ad eas terminantur, vocantur actiones externæ. Quidam actiones Dei ad intrâ s. necessariæ & personales, non sunt illæ secundum temporis differentias, quia Pater generat filium infinitâ duratione in Hodie, h.e. in Nunc stante & non fluente. Non etiam partes temporum habent actiones Dei liberæ, quæ sunt quidem ad extra sed internæ, ut decretum creationis. Haec enim ordine tantum distinguntur,

B

non

non secundūm tempora , prius & posterius , qvia omnia decreta
Dei ab æterno facta sunt. Externæ autem actiones Dei admit-
tunt differentias temporum. Prius enim Deus creat , qvam gu-
bernat mundum . &c.

IMMENSITAS.

§. II. Seqvitur immensitas essentiæ divinæ ratione loci vel
ubietatis speciatim sic dictæ , cujus terminis circumscribi non
potest Deitas. *Circumscrip̄tio à loco* est , qvando res determinatur aut
determinari potest loco : s. per locum intelligatur superficies cum
Aristotele & Peripateticis ; s. spaciūm in superficie , ut vult *Scaliger*
cum *Stoicis*. Nam hæc circumscrip̄tio ex spatii occupatione &
ambientis continentia s. determinatione fieri potest. Contineri
enim ab ambiente est à superficie continente determinari : occu-
pare autem spatiū est ita commensurari dimensionibus spatii ,
ut dum intrā illud est hoc corpus , non possit esse in eo aliud cor-
pus , sed cedat , ita ut ejus qvod spatiū occupat , pars sit in certâ
spatii parte. Atqve hæc circumscrip̄tio competit solis materialiis &
qvanticis , qvæ non admittunt penetrationes dimensionum. *Circum-
scrip̄tio ubietatis speciatim sic d. et. e.* competit spiritibus & discrimi-
natur ab existentiâ in loco , corporibus , ut materialia & corrupti-
bilia sunt , competente. Habet a. tria reqvisita (α) ut Entia sic ubicata
h. e. per tale ubi spirituale determinata sint tota in toto spatio &
qvâlibet ejus parte. Tota , in qvam , secundum essentiâ , non a. secun-
dum qvantitatem , cujus Entia hæc sunt expertia v. g. anima (β)
ut Entia sic ubicata non excludant corpora ab ubi in quo sunt , sed
cum iis existere possint in eodem πς , adeoq; penetrare dimensio-
nes , nec circumscribi ab ambiente , muro , clauistro , signaculis &c.
Sic anima existit in corpore , etiam in iis ipsis spatiis , qvæ actu oc-
cupantur à materia. Unde *Augustinus epist. 28.* inquit : Anima per
omnes partes corporis tota adest simul , nec minor in minoribus ,
nec major in majoribus , sed tantum in aliis intensi , in aliis remis-
sius operatur. Et de Angelis ita loquitur *Bernhardus homil. 3. in
Fest. annunc.* Angelis spiritibus parietes non obſistunt , sed cun-
cta

Et illis visibilia cedunt (*eos non impediunt*) cuncta qvæ corpora,
qvamvis solida & spissa sunt, illis penetrabilia sunt ac pertia. Imò
etiam in eodem loco cum corporibus Angeli possunt penetrare
dimensiones. (γ) Ut Entia sic ubicata, dum sunt in hoc περιουσίᾳ,
non possint esse alibi, dum sunt in cœlo, non possint esse in terrâ,
sc. per naturam suam. Hæc ubietas speciatim sic dicta est cir-
cumstantia omni Enti spirituali præter Deum necessaria, monente
Scaligero exerc. 6. sect. 2. & exerc. 359. sect. 5. Deo ergò neutra de his
competit. Non illa, qvia non est corpus quantum. Non hæc
qvia ita est in cœlo, ut simul etiam possit indistanter & per suam es-
sentiā esse alibi. Deo ergò competit ubicatio talis, qvā neces-
sariò est intimè præsens omnibus aliis ubicationibus à se distin-
ctis, qvāq; indistanter omnia replet. Hæc autem ubicatio dici-
tur immensitas, qvia, ut monet Mendoza Disp. Phys. 14. sect. 2. §. 10.
sine mensura adest rebus omnibus creatis & creabilibus, si fiant.

§. 12. Hæc immensitas Dei est modus essentiæ divinæ, qvi
excludit terminos quantitatis, loci & ubietatis. *Termini quanti-
tatis*, & circumscriptio quantitativa, competit tantum corpori-
bus, qvæ sunt longa, lata & profunda. Deus autem est incorpo-
reus, ideoq; hæc circumscriptio per intrinsecæ quantitatis termi-
nos à Deo liquide removet. *Terminis loci* Deum non circum-
scribi patet (1) qvia est infinitus qvoad terminos essentiæ, qvos na-
tura ejus excludit E. & ratione loci. Nam modus præsentia se-
qvitur modum essentiæ. (2) Si Spiritus finiti non circumscribun-
tur loco propriè dicto, h. e. ubi Physico, qvod locati quantitatem
importat; multò minus Spiritus infinitus. *Lutherus Tom. 3. Je-
nens. fol. 61.* eleganter circumscriptionem loci removet à Deo his
verbis: *Wir sagen / dass GOTT nicht sey ein solch aufge-
streckt/lang/breit/dick/hoch/tieff Wesen / sondern ein über-
natürlich/unerforschlich Wesen/ das zgleich in einem engli-
chen Körlein ganz und gar/ und dennoch in allen/ und über
und ausser allen Creaturen sey/darumb darss keinem einzau-
mens hie/etc Ein Geist ist der Gottheit viel viel zu weit/und
können viel hündert Gottheiten (si sc. darentur plures Deitates)*

drinnen sein / wiederum auch viel zu eng / daß eine Gottheit
drinnen seyn kan / nichts ist so breit / GOTT ist noch breiter /
nichts ist so schmal / Gott ist noch schmäler &c. Terminos ubi-
tis speciatim sic dicta derogamus Deo hoc argumento: Qui simul est in
pluribus locis per naturam, ille non determinatur certi ποστού des-
gnatione ita ut dum hic sit, non possit esse alibi, sed ab omni ποστού
est interminabilis. Atqui Deus &c. E. &c. Hinc subtiliores Scho-
lastici cum nonnullis Patribus dicunt, Deum esse nusquam, licet sit
ubiq; h. e. in omnibus locis esse illocaliter. Quaritur; An dici pos-
sit Deum esse in loco, v. g. in celo, templo &c.? R.(1) nullum est in-
commodum, si dicatur Deus esse in loco denominatione extrinse-
ca. (2) Deus dicitur esse in loco, non quasi eo circumscribatur,
aut in eo locetur, sed ut indicetur præsentia Dei creaturis in tali
loco constitutis manifestata. Phrasis ergo hæc negat circumscri-
ptionem Dei per locum, & notat ad essentiam s. præsentiam essen-
tiæ divinæ cum creaturis in loco existentibus. (3) Distinguendæ
sunt hæc phrases: Deus est præsens in loco; &, Deus est præsens
localiter. Illa potest intelligi tantum de objecto s. re, apud
quam Deus præsens est: Hæc verò involvit modum præsentiarum.
Sic Deus est in loco illocaliter, h. e. ita ut non possit circumscribi
loco illo. Sicut Lombardus lib. 1. sent. dist. 37. lit. O. ait: Deus non
est in loco localiter. Quaritur; An Deus actu sit extrà mundum in
infinitis spatiis imaginariis? De quæstione hæc fuisse agentes vide
Suarez Tom. 2. disp. 3. sect. 7. n. 30. Fonsecam l. 5. Met. cap. 15. quest. 19.
sect. 4. Mendoza in disp. Phys. 14 sect. 3. &c. Dico (α) Spatium imagina-
rium & tempus imaginarium, cui Deus dicitur coextitisse antè
creationem mundi, non est Ens reale, sed rationis figuratum. Antè
creationem Deus nullo coextitit temporis, quia tunc mera fuit
æternitas. Neque antè creationem fuit aliquod spatium. Ubi
enim non sunt creature, ibi nec sunt accidentia concreata. Di-
ces; Ubi ergo fuit Deus? R. Fuit in seipso, non positivè, per situ-
ationem localem sui ipsius in seipso, sed negativè, quia non fuit in
alio extrà se. (β) Distingu. inter immensitatem & præsentiam
Dei: & iterum, inter potentiam præstò essendi, & potentiam hujus
exerci-

exercitium. Aliud est adessentia Dei; aliud, carentia terminorum. Immensitas est absoluta Dei proprietas, qvæ nullum respectum habet ad creaturas: præsentia vero est attributum relatum. Deinde præsentia Dei in actu primo considerata, s. potentia præstò essendi, est qvâ Deus rebus locatis ita adesse potest, ut loco illarum non circumscribatur, & rebus ubicatis ita ut per r̄ Ubi earum non definiatur, sed dum iis adest, possit & alibi eodem momento aliis adesse. Et sic concedimus, Deum, si alium mundum crearet infinitis spatiis distantem ab hoc præsente, (qvod fieri non repugnat) illi posse indistanter adesse, sed qvamdu hoc vel aliud simile non ponitur, tamdu Deus non est actu præsens extrà hunc mundum in spatiis imaginariis, qvia præsentia divina in actu secundo considerata est ipsum exercitum potentiae præstò essendi, qvod positis creaturis ponitur per universalem; positis hominibus piis ponitur per gratiosam; positis Angelis sanctis & beatis ponitur per gloriosam psæsentiam. His v. non positis, nec ipsum ponitur.

§. 13. Immensitas Dei distingvenda est, tum à potentia divinæ præsentie, tum ab ipsa præsentia. A potentia præsentie divinæ differt immensitas Dei (1) qvia immensitas competit Deo, etiam cum non est propinquus creaturis. Sicut enim Deus in se est incorporeus, ita ejus essentia non habet terminos quantitatis, nec potest extendi per situationem ad locum: & qvia est Spiritus infinitus, ideo neque est in aliquo Ubi. Hinc Deus fuit immensus ab æterno, anteqvam creatura ulla, & cum eâ, locus atq; Ubi & tempus ac omnis duratio finita existeret. Potentia a. præsentie divinæ tantum significat præsentiam propinqvitatis cum creaturis per non-repugnantiam. (2) Immensitas Dei est *ascregnū*; potentia v. præsentie divinæ est *cregnū* & operando ad creaturas progreditur. Licet enim immensitas modum ostendat, quo Deus præstò sit & operetur apud creaturas, in loco aut Ubi existentes, nempe qvod Deus his terminis nequaquam terminetur, sed in loco sit illocaliter, in ubi existentibus creaturis adsit absq; definitione: tamen aliud est immensitas, qvæ provenit ex infinitudine & incorporeitate Dei; aliud potentia præstò essendi creaturis qvæ ex omnipotentia Dei produc-

manat. Qvia enim Deus Opt. Max. infinitam habet vim agendi apud creaturas , nihilq; designari potest qvod excedere agendo non valeat, ideo ex suâ operârice virtute adest creaturis.

§. 14. *Ab ipsa autem præsentia differt tum immensitas tum potentia præsentia divinæ.* Nam (α) Immensitas & potentia præstò essendi est Dei proprietas essentialis: præsentia autem divina est proprietas Dei relativa. Præsentia enim non potest intelligi absqve relatione inter objectum, cui qvis dicitur esse præfens, & inter rem præsentem. Itaqve præsentia divina est Dei apud creaturas ~~magis~~, non autem ~~est~~ divina, non ipsa deitas. Nam per præsentiam sibi Deus non est, qvod est, sed est ipsa rerum creatarum impletio: per creaturarum autem impletionem non est in seipso. Per immensitatem autem & potentiam præstò essendi creaturis est sibi ipsi qvod est, qvia per essentiam sibi Deus est id qvod est: at immensitas & potentia præstò essendi creaturis est ipsa essentia divina s. deitas, sicut Tertullianus l. cont. Præxeam c. 5. inquit: Ante omnia Deus erat solus ipse sibi & mundus & locus & omnia. (β) Immensitas Dei & potentia præstò essendi creaturis in abstracto prædicatur de Deo: Præsentia autem divina non nisi concretè. Rectè dico: Deus est sua immensitas; Deus est potentia præstò essendi creaturis. Non autem: Deus est præsentia divina. Nam præsentia est impletio creaturarum. Sed deitas s. Deus abstractivè loquendo non est ipsa impletio creaturarum. E. &c. Non quidem negamus apud Lombardum lib. 1. sent. dist. 26. lit. A. ita præsentiam Dei accipi, cum dicit: Dico præsentiam Dei nihil aliud esse quam ejus naturam. Verum ille per præsentiam divinam intelligit potentiam præstò essendi, cuius actus vel exercitium est ipsa præsentia. (γ) Immensitas Dei & potentia præstò essendi creaturis fuit ab æterno; Præsentia autem divina cœpit in tempore. Præsentia Dei non datur, nisi ante dentur creaturæ, qvibus adest, & creantur loca atqve ubi in qvibus sunt creaturæ, qvibus Deus præfens est. Qvando autem Deus præfens fuisse ante creatum mundum & jam etiam præfens extrâ mundum in spatiis imaginariis esse statuitur ab Augustino l. ii. de C. D. c. 5. id intelligendum est non

non de ipsa præsentia divina, sed de potentia præsentia. Sicut enim potentiam creandi ab æterno habuit; creatio vero in tempore facta: ita & potentia præstò essendi in Deo est æterna, sed præsentia divina non cœpit nisi quando initium sumserunt creaturæ & loca atque ubi creaturis concreata. Hoc itaque vult *Augustinus*, Deum habuisse potentiam adessendi creaturis, ut quando illæ existerent, iis præsens esset, & quidem talem potentiam, quâ non tantum in mundo præsente, verum & in mille aliis mundis si Deus eos creare vellet, præsens esse possit: Qvare de ipsa præsentia malè à *Scholasticis* spatha illa imaginaria intelliguntur. Præsentia enim tantum refertur ad id qvod actu jam est, non qvod deum potest esse. (d) Immensitas & potentia præstò essendi est absolutæ necessitatis, sine quâ Deus nequit esse & manere Deus: sed præsentia Dei est libera, & non nisi ex hypothesi, sc. positis jam creaturis, est necessaria, qvarum singulis Deus adest, qvamdiu illis vult adesse. Nam non-positis creaturis, etiam non ponuntur termini creaturarum, ubi & locus: proindè nec Deus illis præsens est. (e) Immensitas Dei & potentia præstò essendi creaturis uno eodemq; modo & tenore se habet, nec unquam desinit: præsentia autem divina ut cum creaturis cœpit, ita & desineret, si Deus creaturas non-esse vellet, & reipsâ definit qvoad creaturas irrationales in extremo die. (z) Immensitas & potentia adessendi est una: præsentia autem divinæ modi s. gradus sunt plures. Est enim præsentia divinæ gradus vel universalis, vel gratiosus, vel gloriiosus. Deinde singulares qvoque modi præsentia divinæ, salvâ individuâ essentiâ, immensitate & potentia præstò essendi, posunt esse alii atque alii, non tantum qvoad propinquitatem operacionis, sed etiam qvoad propinquitatem substantiæ. Sic Spiritus S. dabantur Apostolis qvoad sanctificationem ut Christianis & fidelibus, qvorum templa inhabitabat non tantum novâ operatione, præter eam, qvæ generalis & omnibus creaturis communis est, sed & qvoad novum propinquitatis substantiæ modum. Deinde dabatur Sp. S. Apostoli qvoad vocationem specialem ad ministerium, iterum qvoad novum propinquitatis non tantum operativæ, sed & substantialis modum. Denique iidem Apostoli acceperunt Sp. S.
qvoad

qvoad dona miraculosa & ad officium Apostolicum necessaria.
De qvibus fusius & ex professo Theologi.

§. 15. *Queritur*; An per Dei omnipotentiam corpus aliquod possit fieri immensum qvoad terminos quantitatis? N. qvia id fieri repugnat ex parte objecti. En n. affirmatione & negationem simultaneam! Corpus est:&; Immensum est. Immensitas corporeitati diametraliter opponitur. Finge mihi corpus absq; quantitate, & qvætro; Corpusestne quantum, vel non? Si est quantum. E. nondum qvætitas est separata de corpore. Si non, aut qvætitas abiit in punctum (supposito dari aliquo vel separabili vel actu separato à qvætitate) aut in Spiritum. Utrumq; absurdum. *Queritur*; An per potentiam Dei corpus quantum possit creaturis in loco aut n^os existentibus adesse simul citrè circumscriptionem localem , aut definitionem ubi? A. Non n. de essentia qvætitatis est actualis commensuratio magnitudinis cum loco , s. extensio partium corporis ad locum, sed aptitudo tantum extensionis hujus ad locum, qvam alii vocant qvætitativam. Actualis autem extensio partium corporis ad locum non ad prædicamentum qvætitatis, sed ad prædicamentum *Ubi* pertinet. Potest ergo corpus esse quantum, et si ejus partes non coextendantur, aut commensurentur loco. Est autem aliis generis positio actualis, qvæ est proprietas qvætitatis s. corporum qvætorum, nēmpe positio s. situatio partium ad partes. Hanc intelligit *Philosophus* in prædicamento qvætitatis, cum corpora, qvatenus magna sunt & continua, ait habere *h̄c* s. positionem. Altera verò situatio, qvæ est partium non ad partes, sed ad locum extensio , ad prædicamentum *ubi* pertinet. Interim potentia & aptitudo coextensionis ad locū etiam pertinet ad prædicamentum qvætitatis *Dices*; Collocatio partium ad partes est locus intrinsecus. E. omne corpus quantum necessariō est in loco interno. R. *Keckermannus* novam infert Philosophiam , & confundit proprietatem qvanti intrinsecam, cum proprietate n^o *Ubi* Nam actualis situatio partium ad partes non est collocatio, sed positio tantum vel ordinatio partium actualis. Locus internus non est locus. Nam omnis locus potest separari à corpore: Dispositio verò partium ad partes non potest separari à corpore. E.&c.

§. 16. *Quæ-*

§.16. *Queritur*; An Deus rectè dicatur esse nusquam? A. Si de peculiari præsentia modo, locali s. circumscriptivo & definitivo intelligatur. *Queritur*; An Deus rectè dicatur esse ubiq;? R. Si accuratè & strictè volumus loqui non potest adhiberi terminus Ubiquitatis. Nam si vox ubiq; strictè sumatur, sequitur, illū qui est ubiq;, esse in omnibus locis localiter præsentem: Potius E. adhibemus vocem præsentia divinæ. Interim vox Ubiquitatis cur non admittatur, si explicetur de liberrimo exercitio præsentia divinæ? *Queritur*; An Deus possit dici esse alicubi? A. Silatè sumatur hæc vox & ab omnibus imperfectionibus depuretur. *Queritur*; An Deus sit in quovis minimo pulviculo, etiam in locis foetidis? R. (α) Disting. inter adessentiam & inessentiam rigorosè dictam (β) de locis foetidis notetur simile de solis radiis, fœtidas res collustrantibus, non tamen maculam contrahentibus. Si quis incideret in cloacam Deus utiq; præsens erit. *Hæc de infinitate Dei quoad terminos quantitatis, loci & ubiqutatis.*

INCOMPREHENSIBILITAS.

§.17. *Anaglypsia* s. incomprehensibilitas est modus essentiæ divinæ, quo illa non potest ab ullâ creaturâ plenè percipi & perfectè. Cognitio comprehensiva alicujus rei est, qvâ totum id quod est in objecto intelligibili cognoscitur notitia vel intuitivâ, vel intellectuali, vel utrâq;. Modus loquendi desumitus est à dimensione corporum, qvæ comprehendi dicuntur cum tota eorum quantitas itâ intrâ rem aliquam continetur, ut nihil de quantitate illius sit extrâ continentis complexum. Comprehendi ergo illud dicitur, quod cognoscitur, quantum ex se cognoscibile est. Et comprehensio est cognitio omnium formalitatum, qvæ sunt in objecto, itâ ut nihil objecti lateat cognoscentem. Vel; est clara & distincta cognitio objecti secundum omnia, qvæ habet formaliter & eminenter, prout eam describit Vazquez i.p.d.52.c.1. Hoc modo Deus est incomprehensibilis. Nam (1) qyicunq; ne quidem quidditativer à nobis cognosci potest, is multò minus comprehensivè. Atqvi Deus &c. E. &c. Consequentia claret, qvia omnis comprehensiva cognitio quidditativa est, licet non vice versa. Minorem

C

probo,

probo, quia cognitio quidditativa dicitur illa, quâ res cognoscitur secundum omnia prædicata essentialia, genera omnia & differentias, quæ ad illius constitutionem pertinent, & si quid est aliud, quod de ea essentiali prædicatione dicitur, sicut eam describit Thomas i. p. q. 88. *Suarus* disp. 30. sect. 12. n. 8. *Fons* c. 1. q. 2. sect. 1. Adeoq; illud dicitur per cognitionem quidditativam cognosci, quod potest perfectè definiri. Deus autem nequit definiri, quia quicquid propriè loquendo definitur, id definitur per prius, teste *Arist.* l. 6. *Top.* c. 3. At Deo nihil est prius. Ipse enim est primum Ens. (2) *Thomas* i. p. q. 12. docet ad comprehensionem Dei reqviri, ut Deus infinitè cognoscatur. Quæ tn. ratio Thomæ sua obscuritate & difficultate non caret, adeoq; à multis in medio relinqvitur.

§. 18. *Quaritur*; An Deus seipsum comprehensivè cognoscatur? A. ita tamen, ut vox comprehensionis non denotet inclusionem finiti, sed perfectissimam cognitionem. *Queritur*; An Beati Deum cognoscant comprehensive? N. quia non cognoscunt distinctè singulas denominationes & formalitates Dei. Hinc rectè *Thomas* p. 1. q. 86. art. 2. negat nostrum quæsitum, inqviens: Infinitum, quod est Deus, secundum se notum est, ignotum autem quoad nos, propter defectum intellectus nostri, qui secundum statum præsentis vitæ, habet naturalem aptitudinem ad naturalia cognoscenda. Et ideo in præsenti statu Deum cognoscere non possumus, nisi per materiales effectus. In futuro autem statu tolletur defectus intellectus nostri per gloriam, & tunc ipsum Deum in suâ essentia vide-re poterimus, tamen absq;e comprehensione. Hæc ille.

§. 19. Licet autem intellectus creatus careat cognitione Dei comprehensivâ, non tamen caret apprehensiva, quâ Deus tantum cognoscitur, quantum ex revelatione ipsius per ejus condescensum, ad finitum caput facta mens creata potest capere. Est autem hic condescensus s. indulgentia Dei ad creaturas cognoscentes, cum Deus se non ut est in se & quatenus est, ostendit, sed ut videre potest is, qui hujusmodi aspectum conseqvitur, quatenus infirmitate videntis suam representationem metitur ac temperat.

§. 20. Apprehensiva notitia est triplex: naturæ, gratiæ & gloriæ (quæ *τέχνη* non incommodè potest in *λόγοις* redigi, ut apprehensiva notitia alia dicatur esse specularis s. enigmatica, quæ datur

datur in hac vitâ apud homines, & admittit suos gradus: alia intui-
tiva, qvam habent Intelligentiæ) Notitia s. V. si o naturæ vel est insi-
ta, vel acqvisita. Illa dignitur ex notitiis naturalibus omnium ho-
minum mentibus insitis, & probatur plerumq; per metum Dei ut
peccatorum vindicis; interdum & ex conscientiæ testimonio. Hec
colligitur ex operibus Dei in creatione, & vestigiis illis divinitatis,
qvæ sparsa sunt in totâ rerum natura. Dicitur acqvisita, qvia ac-
qviritur per raciocinationem. Illa verò raciocinatio facit vel de-
monstrations, vel argumenta Topica. Demonstrations sumun-
tur vel ab effectu & signis; vel ab impossibili. Piores notiti-
am confusam tantum pariunt, & quidem ostendunt Deum non ut
creatorem, sed ut effectorem hujus universi. Postiores autem
quid non sit Deus potius, qvam quid sit, docent. Ejusmodi demon-
strations exstant apud Richardum de S. Victore l. 1. & 2. de Trin. Tho-
mam cont. gentes c. 42. Argumenta verò Topica ducit ab Analogia,
dum opificem à magnitudine, pulcritudine, ordine &c. opificii
avatoyas s. proportionaliter cognoscit. Notandum v. hic est id quod
suppeditat Armandus de Bello vij & Dionysius c. 2. de myster. Theol. &
de divinis nominib. c. 7. tripli via naturaliter nos deduci in cognitionē
Dei (1) via eminentiæ, qvā ea, qvæ perfectionem quandam in nobis
obtinent, eminentissimo modo in Deum locamus v. g. sapientiam,
scientiam, potentiam &c. (2) via negationis, qvā ea, qvæ in nobis
imperfectionem arguunt, simpliciter à Deo removemus, v. g. dis-
cursum mentis, mortalitatem, indigentiam cibi & potus (3) via cau-
salitatis qvā Deum causam omnium rerum in toto universo exi-
stentium & provenientium celebramus. Cæterum accuratè obser-
vandum est, has tres vias semper conjunctas esse. Nam negationis
modus ita accipiendus est, ut intelligamus, in iis negationibus non
solam ac simplicem esse negationem, sed excellentiores ibidem af-
firmationes delirescere: Similiter in via causalitatis, qvia ad excel-
lentiam illius causæ nunquam assurgit effectus, semper adducen-
dus est modus eminentiæ, secundum qvem perfectiones creatura-
rū infinitè perfectiores in Deo esse intelligantur. *Viso gratiæ* est, qvā
Deus in hac vita cognoscitur ex verbo suo gratiōsè patefacto. *Viso*
gloriae, qvā Deus ab Angelis & beatis hominibus gloriōsè cogno-
scitur in vita æterna.

MAN-

MANTISSA.

Quoniam roritur; An Deus ratione independentiae & immutabilitatis possit appellari primus & novissimus? A. Deus est primus in essendo, quia non habet causale principium essendi, sed antea omnes creaturas, quas liberimam voluntate produxit, cum ex virtute exticit: Novissimus, quia non habet paucam essendi, sed si omnia alia principiata interirent, sicut per Dei omnipotentiam (accidente voluntate) in nihilum redigi possunt, ipse solus superstes esset & servaret suam essentiam nulli mutationi obnoxiam. Probè a hic notandum est discriminem primitatis & postremitatis essentialis ac personalis. Differunt n. 3. modis (1) relatione ad diversa objecta: Nam personali primitate sola persona prima refertur ad secundam; essentiali a. primitate omnes tres persona referuntur ad creaturas illis longè posteriores, quippe ab ipsis in tempore productas. (2) Appellatione & modo primitatis & postremitatis. Primitas n. Dei essentialis est primitas naturæ, quia Deus prior est, non se ipso sed creaturis, & quidem talis primitas, quia Deus non tantum naturali essendi ordine, sed etiam duratione creaturas antecedit, ita ut sine creaturis Deus & potuerit esse & fuerit, ipse vero creatura tunc quando Deus eas vult existere, non possint esse sine Deo. Sic Dei postremitas essentialis est postremitas, quia Deus non potest non superstes esse, et si creature omnes intercant sicut omnes vel actualiter vel aequaliter alter isto interitui obnoxiae sunt. Personalis a. primitas est primitas ordinis & enumerationis personarum Trinitatis, secundum quam enumerationem prima persona est Pater, secunda Filius, tertia Sp. S. (3) Ordine enumerationis personarum divinarum. Essentialis ordo est arbitrarius; personalis necessarius. Personarum enumeratione prossus non debet immutari, ita ut si persona ratione proprietatum ad intrâ effectu numerentur, secunda prima, aut secunda tertia anteponi non possit. Nam haec personalis enumeratio fundatur in characteristicis personarum Deitatis proprietatibus. Cum autem primitas & postremitas essentialis spectatur, tum indifferens est personarum Deitatis enumeratione, nec semper prima persona primo loco ponitur, sed sapè secunda prima anteponitur, ut significetur hoc ordine arbitrio, quod secunda persona agit sit prima & novissima in collatione ad creaturas, atque prima est. Quæ enumeratio tamen licet sit arbitraria, ipsa etiam causas suas gravissimas habet.

DEO INFINITO GLORIA!





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730148890/phys_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730148890/phys_0027)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730148890/phys_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730148890/phys_0028)


DFG

§.16. Queritur; An Deus recte de peculiari præsentia modo, locali s. vo intelligatur. Queritur; An Deus si accuratè & strictè volumus loqui non ubiqvitatis. Nam si vox ubiq; strictè si ubiq;, esse in omnibus locis localiter præmus vocem præsentia divinæ. Int. non admittatur, si explicetur de lib. divinæ? Queritur; An Deus possit consumatur hæc vox & ab omnibus im. Queritur; An Deus sit in qvovis minimis fœtidis? R. (α) Disting. inter adesse rosè dictam (β) de locis fœtidis notetum fœtidas res collustrantibus, non tamen. Si quis incideret in cloacam Deus utiq; tate Dei quoad terminos quantitatis, loci &

INCOMPREHEN.

§.17. Ἀναλογία s. incomprehensia divinæ, qvo illa non potest ab ult. perfectè. Cognitio comprehensiva al. qvod est in objecto intelligibili. cognoscere vel intellectuali, vel ultrâq; Modo loquitione corporum, qvæ comprehenduntur quantitas ita intrâ rem aliquam contingit illius sit extrâ continentis complexum. dicitur, qvod cognoscitur, quantum est comprehensio est cognitio omnium factorum objecto, ita ut nihil objecti lateat cognoscere & distincta cognitio objecti secundum certum & eminenter, prout eam describit Vnde Deus est incomprehensibilis. Nam (i) didicative à nobis cognosci potest, is mutus. Atqui Deus &c. E. &c. Consequentia comprehensive cognitio qvidicative est, licet

C



the scale towards document

sqvam? A. Si o & definiti- fesse ubiq;? R. eri terminus ur, illū qui est us E. adhibe- ubiqvitatis cur io præsentia i? A. Silatè s depuretur. etiam in lo- entiam rigo- s radiis, fœ- trahentibus. Hoc de infinito

TAS.

nodus essen- nè percipi & qvâ totum id vel intuitivâ, est à dimen- tota eorum e. quantitate di ergò illud oile est. Et qvæ sunt in el; est clara bet formalis- c. n. Hoc mo- videm qvid- comprehendiv. inis compre- p. Minorem probo,

Patch Reference number on UTT
Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. _____